Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2725
Quelle:
Copyright:

phano. XIV. de *Johanne Evang.* XV. de *Innocentibus.* XVI. de *IIII^or. Diebus*, id est, Festis hactenus recensitis simul sumtis. In hoc Sermone sententiam suam de *gloria hominis*, seu naturae humanae, *in Deum assumtæ* urgent Fratres. Sermo XVII. rursus de *natali Domini.* XVIII. de *circumcisione Domini.* XIX. in *Octava Domini.* XX. in *capite Iejunii.* XXI — XXV. de 5. *Dominicis Quadrag.* XXVI. in *natali S. Gregorii.* XXVII. in *annunciatione Sancte Marie.* XXVIII. in *Palmis.* XXIX. in *Cena Domini* in quo Sermone egregium, nobis *fol.* 164. legitur de Veritate Corporis et Sanguinis Christi in Eucharistia testimonium, quod incipit: *Credamus domino dicenti. hoc est corpus meum. hic est sanguis meus. qui cum uana rebus nomina non soleat ponere. non dixit saltim. hoc uocetur corpus meum. hoc uocetur sanguis meus — Ac ne recurras ad sacramentum. et putes hoc uerbum tantum ad ecclesie unitatem esse referendum — ac si diceretur. hoc significat ecclesie unitatem que est corpus meum — signanter adiecit. quod pro uobis tradetur — quod ecclesie nequaquam aptari poterit, cuius pro nobis neque corpus traditur nec sanguis effunditur* &c. Sermo XXX. in *Mandato*, id est, in Lotione Pedum. Ultimus in *Die Sancta Resurrectionis Domini.* Vides medium Annum circumactum. Oportebit itaque alicubi et aliam Operis Partem existere, quae *Sermones*, ut ajunt, *Aestivales* complectatur. Agunt de *Gerbobo* atque *Arnone* varii, quos citatos habes apud *Fabric. Bibl. med. Lat.* L. 7. et 1. et *Hamberger IV. Th.* p. 238. nemo tamen Sermonum nostrorum meminit. Inde raritatem conjice.

DCCLIII.

Codex partim membraneus, 765 766
eaque parte Sec. XII. partim chartaceus, eaque parte Sec. XV. Folior. primum 73. tum 26. 8. priore parte eleganter exaratus haec complectitur: I. Sermones duos *de Dedicatione Ecclesiae*, quorum prior infit: *Templum dei sanctum est quod estis uos.* (Per) *Uerba que modo premisimus domum dei multum commendat apostolus* &c. Alter: *Si quis diligit me sermones meos seruabit* &c. *Nisi diligamus deum non possumus saluari* &c.

II. *fol.* 4. Excerpta varia e PP. *Augustino*, *Leone*, *Innocentio*, *Pio*, *Clemente*, *Gregorio*, *Ambrosio*, nullo nexu.

III. *fol.* 5. p. 2. Sermones duos; *de Aduentu*, cujus initium: *Quoniam presentium Obseruatione dierum utrumque christi aduentum celebramus* &c. et *de palmis*, cujus initium: *Occurrunt Turbe cum floribus et palmis redemptori* &c.

IV. *fol.* 8. *De Sacris Ordinibus.* Initium: *Sacri Ordines fiunt semper in ieiunio secundum primitiuam ecclesiam. quia legitur. ministrantibus illis domino et ieiunantibus dixit spiritus sanctus* &c. Brevis est Institutio liturgica, cujus fon-